

## AD LECTOREM.

Offendi in eo primo statim intuitu, quæ alii non tantum in *Enchiridiis*, *Margaritis*, *Breviariis*, *Compendiis*, *Meddullisqve Theologicis*, sed etiam in *Speculis* & *Promptuariis distinctionum*, in *Elucidariis sacris*, *Thesauris disputatoriis* ac *Theologiis technicis* &c. tradidere. Imo gratulabar mihi impense, quod talem fere nactus essem **THEOLOGIÆ NUCLEUM**, qualem **SCHERZERUS** ὁ πᾶνν affectabat. Quare conqvisito studiose altero exemplari, quantum potui deinceps allaboravi, ut quotidie Aphorismum curate perlegerem, allegata Scripturæ, Patrum, aliorumqve Auctorum evolverem, dicta probantia Ebraico & Græco idiomate una cum *B. Sebast. Schmidii* accurata versione adderem, lacunas supplerem, hocqve auro quovis charius cimelium Theologiæ sacræ cultoribus aliquando communicarem.

Constitui mecum, passibus quancquam haud æquis, vestigia premere laude dignissima Theologorum meritissimorum, ipsius beatissimi **SCHERZERI** posthuma Hülsemaniana edentis, Præclarissimi **NEUMANNI** Lyserianum Systema in lucem proferentis, Venerandissimi **FECHTII** plurima ἀνεύδοτου sacra ab interitu vindicantis. Vidi etiam, quam gratum fuerit *succinctum Theologiæ moralis Compendium Strauchianum*, quod ex manibus Reverendissimi **MAYERI** acceptum brevi bis typis exscriptum est. Probè quidem mihi conscius sum, quot & quantis ab illis **VIRIS** Magnificis distem parasangis; observavi tamen cum *Chrysofomo* (Homil. 31. in cap. 16. Rom. f. m. 387.) aurifabrorum pueros minutissima etiam aurî ramenta studiose conqvirentes, facere